



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Sermo IV. Analogia multiplex inter Officia Architecti- & Amatoris Sapientiae  
Virtutumque Studiosi. Volens Turrim aedificare. prius sedens computat  
sumptus, qui necessarij sunt Lucae XIV. 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARCHITECTUS CHRISTIANUS. 41

ni ad liberandum nos, iam noli tardare. O *Clavis David!*  
Veni & educ vincitum de domo carceris, sedentem in  
tenebris & umbra mortis. O *Oriens splendor lucis æter-*  
*næ!* O *Sol Justitiæ!* veni & illumina sedentes in tenebris,  
& umbra mortis. O *Rex Gentium:* veni & salva homi-  
nem, quem de limo formasti. O EMMANUEL!  
veni ad salvandum nos :  
Domine DEUS Noster.



SERMO VI.

ANALOGIA MULTIPLEX

Inter Officia Architecti, & Amatoris Sapientiæ,  
Virtutumque Studiosi.

*Sapientia edificavit sibi Domum. Proverb. ix. 1.*

*Volens Turrim edificare, prius sedens computat sumptus,  
qui necessari sunt. Lucae xiv. 28.*

---

ARTICULUS I.

ARCHITECTUS CHRISTIANUS

*Quis nam sit? Quis item Amator, Cultorq; Sapientiæ  
Quis virtutum Studiosus?*



APIENTIÆ Amator cultorque est, nostrâ  
descriptione, *Qui litterarum, doctrinae-ue stu-*  
*dium, virtutum exercitationi copulat. vel, Homo*  
*virtutum solidarum, & doctrinarum ornamentis*  
*excultus.* Nimirum, qui Pierati aut Religio-  
ni, seu virtutum Christianarum fundamento doctrina-  
rum augustissimam Domum *Ædificando* imponit. Quid

C s

hoc

hoc est aliud, quàm Amatores cultoremque Sapien-  
 tiæ esse *Architectum Christianum*: Porro, tam eum, qui ve-  
 ris solidisq̃ue virtutibus exornat Animam, quàm, qui  
 litterarum exercita mentis eandem excolit, *Ædificare*,  
 & illum quidem, ex virtutibus, tanquam lapide, ligno,  
 calce, hunc verò ex variis scientiis *Ædificium* moliri &  
 extruere demonstrabitur, quando de materia Archite-  
 ctonicæ Christianæ subiecta agetur, ex instituto. Nunc  
 fat sit dixisse, Sapienitiæ veræ Amatores hoc conari,  
 ut fundamentum ponat firmum ac immobile, *Fidem*:  
 supra quod extollat bonorum operum *parietes*, ex toti-  
 dem *virtutibus*, ceu quadris lapidibus coagmentatos,  
 quos Caritatis cæmento jungat: est enim Caritas vin-  
 culum perfectionis, calx ædificii spiritualis: rectum tan-  
 dem superponat *Spei*, quod cælo non minetur, ut nu-  
 gantur profani de suis palatiis, sed Superis benè volen-  
 tibus cælo inferatur. Atque hoc est primum Sapien-  
 tiæ *Ædificium*. Alterum verò, Pietatem omnem, id est,  
 cunctarum virtutum congeriem, tanquam saxum im-  
 mobile, vice fundamenti, in imo habet, ex quo parie-  
 tes ad surgunt ex omni Artium ingenuarum ac scientia-  
 rum genere. *Grammatica*, *Philosophia*, *Medicina*, *Jurispru-*  
*dentia*, quæque hisce principalibus adnectuntur, tum  
 aliis quoque Scientiarum subsidiariis facultatibus; qui-  
 bus tectum imminet supra id omne, vnde ningit, pluit,  
 fulgurat, elevatum, THEOLOGIA scientiarum Impera-  
 trix, & re ac nomine SAPIENTIA.

HÆC est nominatissima in Sacris nostris *Domus*:  
 duplex illa quidem, si inhabitandi spectetur commo-  
 ditas, at ita intra unius Palatii limites constructa, ut vi-  
 deri una possit, & merito censeatur: ac proinde de utra-  
 que, tanquam de uno, ad usus omnes accommodato  
*Ædificio*, loquitur inter Architectos regios eximius  
 Salomon: Prover. ix. 1. *Sapientia edificavit sibi domum*:

*excidit columnas septem.* Dicamus nos per concrementum, Vir sapiens, seu Sapientiæ Amator & Cultor Domum extruit, ac peristylis septem columnarum cinxit, ornavitque; Quod utrum ad virtutum septem capitalium, aut totidem scientiarum vel Artium liberalium propylæum referendum sit, suo loco videro, cum ea de re instituetur dissertatio: hic sat habeam adnotasse Sapiensem *Ædificare*, id est, esse Architectum, ex officii proprii cum Architecti munere convenientiâ.

## ARTICULVS II.

## FUGA TEMERITATIS.

*Ut Sapiens Architecti, ita virtutum studiosi est, haud temerè opus arduum aggredi.*

**P**rimum quod in Sapientiæ virtutumque cultore optatur, est, ut à temeritate eligendi sit alienus, nihil nisi maturâ deliberatione, & præparatione debitâ præmissâ inceptet, nihil temerè leviterque aggrediatur, cautè ac providè, quæ opus, quod sibi proponit, remorari possent aut impedire, præmeditetur, & expendat singula. Quod cum Christus Dominus commendatum vellent, monuit auditores suos, ut imitentur Architectos, & sint revera tales. Sed duplex est eorum genus, unum fatuum, alterum sapiens. Iners & fatuus Architectus, volens eligere fabricam, formata confuse in cerebro ideâ, ac si tam facilè res fieret, quàm fingitur; postquam vidit lapidum aliquem cumulum, opus inchoare non dubitat: conducit operas, præscribit agendi modum, neque amplius de necessariis ad erigendam non exiguam molem cogitat, omnia ex unâ lapidum congerie educi posse sibi persuadere videtur: hinc jacto fundamento, & in spithamæ altitudinem erecto pariete, deficiente materiâ ac pecunia desistere cogitur. Sapiens

ens

ens verò, antequam manum admoveat, impendiorum sumptuumq; tabulas conficit, considerat attentè quid præstare possit, vnde, quod non potest ipse, accipere valeat; vires facultatesque suas metitur; nec altius domum, quàm marsupium patiarur, erigere proponit: sicque feliciter, quod destinaverat, ad exitum tandem perducit.

TALEM debere esse Architectum, Sapientiæ cultorem, cælestis magister Christus accommodata ad rem parabolâ docuit, sic disserens: Lucæ XIV. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Qui enim ex vobis volens Turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt ad perficiendum: seu, ut est in Græco τὰ πρὸς ἀπεργισμὸν omnia, quæ ad perfectionem, seu consummationem, scilicet Turris, ita ut nihil omninò desit, requiruntur, Quasi dicat, Discipuli mei, monui vos aliquoties seriò, ut si me sequi velitis, patrem, matrem, & omnem consanguinitatem, immò, vitam vestram, non plus, sed minus, quam me ametis, quod est sanctè odisse: voluntatem vestram abnegetis, iudicium vestrum meò subdatis, CRUCEM opprobriorum & persecutionum bajuletis. Hæc non sunt facilia profectò, ut experimento discetis. Quocirca meminertis, vos esse debere Architectos, ad ædificandam Turrim perfectionis Evangelicæ destinatos. Est autem sapientis Architecti, rem tantam haud temerè aggredi, sed diu multumque considerare, num possit necessariis sumptibus sufficere. Quod ni fiat, ludibrio se exponit transeuntibus, qui inchoatum cernentes ædificium Architecto fatuitatem exprobrant.*

SED de hujus Parabolæ arcanis, tunc differetur uberior, quum Religiosum peculiariter esse debere Architectum Christianum docebimus. Modò illud solummodo

modò subnectimus: Quemlibet, ut litterarum studiis, & acquisitioni virtutis, & maximè perfectioni Evangelicæ det initium, cui profectus, ac consummatio respondeat, esse debere, ex Sapientiæ præscripto, Architectum minimè fatuum. Non oportere opus inchoare incòsideratè, casu, temere, sed certâ animi destinatione, præmissis virium experimentis, naturæ exploratogenio, inclinatione mentis perpenſa, pertentato, facultatum interiorum & exteriorum subsidio. Plurimum enim refert, immò, omninò est necessarium, hæc & his gemina perspecta habere, antequam alicui disciplinæ, cui operam dabis, & in qua consensescere cogitas, te consecres. Contra quod graviter peccatur à nonnullis rerum inexpertis, qui decursis in Gymnasio artium, litterarum spaciis, arrepto vitæ melioris proposito, sumpto etiam nonnunquam vitæ religiosæ indumento, vel nullos in litteris, virtutumque studio progressus faciunt, vel non multo post quàm ferventer inceperunt, in tepeſcunt, sæpe etiam inchoata deserunt, & in media ædificatione desistunt, cum intuentium ludibrio, & vitæ totius dedecore. Quæ causa? temerè suscepta ædificatio. Non omnes ex hominum genere apti sunt ad litteras addiscendas: ad stivam & aratrum quidam facti fictique, qui agricultores essent optimi: nonnulli ad artes serviles & mechanicas videntur nati, nulla novercantis naturæ injustitiâ, sed Dei, patris universalis, & ubique optimi providentiâ, qui ita universo consultum voluit. quid inepti nos, & divinorum ignari consiliorum conquerimur, non sine noxâ? Isti autem præclari essent in suâ tribu, sartores, sutores, cerdones: in litterarum studio vix sunt numerus: ideoque explorandum prius fuisset ingenium, spectanda indoles, attendenda in puero, ad hæc, vel illa peculiaris habilitas.

SIMILIS EST RATIO IN VIRTUTUM CULTU, AD QUEM OMNES  
sunt

sunt idonei. fateor. Sed non omnes ad eundem culturae modum. Hinc tot à Sapientissimo rerum Moderatore in Ecclesiâ, vivendi, virtutemque exercendi, sunt aperta scholæ, tot constituta bonorum contubernia, Religiosorum familiæ, Ecclesiasticorum cætus, & status secularium; ut naturæ cuiusque gratiæque divinæ consentanei eligantur. Hoc si negligatur, malorum deinde subsequens est origo. Multos ad salutem sempiternam perventuros fuisse nullus dubito, si deserto seculo, in quo sine ulla, de statu vitæ deliberatione, sibi degendum proposuerunt, ad Ecclesiasticorum ordinem se contulissent: plures, si inter Ecclesiasticos Religiosi esse voluissent. Nec tamen omnis Religio omnibus est conveniens. Magna est naturarum, complexionum, studiorumque diversitas: varia Religionum diversarum munia, ad quæ non omnes sunt idonei. Agamus paullo familiarius. Optimus, ô Tite, esses Carthusianus, solitudinis amans, ad silentium proclivis, à contemplationibus non abhorrens, natura subtristi, alienus à consortio multorum, & conversatione civili, ingenio mediocri, memoriâ vulgari, iudicio tenui, piculenti assuetus. Quid ad alium Ordinem religiosum aspiras, ubi multæ aliæ, & nonnullæ contrariæ requiruntur dotes? Tibi ô Timothee, ut fias *Capucinus*, plane erit consultum: ad severiora te DEVS vocat: natura favet, sunt vires corporis, adest animus, placet austeritas, facer ille horror, & saccus: linguam habes, quam ad DEI honorem, & animarum salutem, ut gladium & rhomphæam bis acutam exeres. quid moraris? quid molliorem eligis statum? vide ne te tandem capti pœniteat.

UELLES, ô Damiane Societatem Jesu ingredi, in eâ vivere, & mori: applaudo. Sed vide, num signa in te deprehendas Religiosi Societatis; Monachum, ut  
 ha-

habet vulgaris paræmia, non facit cappa & scapulare: nec Clericum Crux in pileo, aut talaris toga. Posses-ne tu cuicumque nullo scientiæ, prudentiæ, humanitatis intuitu, sed solummodo, quia est Superior legitimus, tanquam Christo, iudicium æquè tuum ac voluntatem subdere? Posses-ne ad obedientiæ nutum per mare, per terras, per inhospitalem Caucasum, ad Garamantes, Indos, Iapones, non alio quàm bonæ spei viatico, unius animæ lucrandæ desiderio excurrere? Posses-ne viuus & sanus, cadaveris instar, aut scipionis in manu herili, verti, inverti, gyrari, nullâ datâ causâ, & sine refragandi murmurandique indicio. Velles-ne in Collegii habitaculum vilissimum amandari, ibidemque nulla mutationis spe datâ consistere? Velles-ne prompte pro Christi gloria contumelias quaslibet suscipere, inter Orbis quisquilias, pauperes agere? ægros, leprosos, elephantiacos, in nosocomiis, & gurgustiiis, inter sceleratos in carceribus, triremibus, ergastulis; immò, sub patibulo in scalis, in catasta ad flammam, in ferali theatro cum carnifice? illiusque officii nullum in hac vita præmium expectare? Hæc & similia sexcenta, sunt Ordinis nostri insignia, & horum cupiditas est documētum, anquis ad hanc Sapientiæ classem sit idoneus. Cetera appendices sunt, & remotæ quædam conditiones, non simpliciter necessariæ, faciunt tamen aliquid ad benè esse, quemadmodum loquuntur Philosophi: ut excellens ingenium, exquisita doctrina, eruditio, & his gemina; sine quibus optimi esse possunt Religiosi in Societate Jesu, sine aliis superius indicatis nequaquam. Quæ quidem volenti cum divina gratia, & amanti sunt facilia: verbo solùm & specie terrent inexpertos: & sonitus ac umbra mentitur, ut larva à pueris, & è fistula bombus.

Quod de Religioso statu dictum: ad alia quoque transferendum est. Vis fieri Consiliarius Principis?

pis?



pis? Vide num tantum scientiæ prudentiæque tibi superpetat? Vis esse Judex, Proba, an à personarum acceptione sis alienus? num possis irrumperè iniquitatem virtutè tua: *ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in equitate tua* Eccl. vii. 6. Vis esse Doctor? attende, num præter libros habeas, quo titulum tueri possis: ne dicatur: *Salvete libri sine Doctore.* Denique sit universale ex Architectura enunciatur. Si vis Turrim ædificare, prius sedens computa sumptus, qui necessarii sunt, si habeas ad perficiendum: pertenta robur tum corporis, tum animi, an par futurus sis ferendis laboribus & periculis: nihil improvidè, nihil temere aggrediaris.

## ARTICULUS III,

## ARCHITECTUS CHRISTIANUS

*Sit oportet Auditor & Factor bonus Sipientia.*

QUID magis proprium est Sipientiæ Christianæ Amatoris, quàm ut non solum audiat Sipientiam docentem, sed etiam obaudiat præcipienti? non sit tantum Auditor verbi, sed & Factor? Est enim Sipientia Christiana non Theorica solum, quæ nuda contemplatione contenta, sed practica etiam, quæ opus ipsum spectat. Quod omni Scientiæ morali convenire docuit Philosophus. Non erit autem unquam mandati exequutor, ut debet Sipientiæ cultor, nisi sit *Architectus*. Fallere me vos non sinit Æterna, cujus interpretem hic ago, Sipientia. Mecum sentietis sat scio, si in mentem vobis veniat monitio, quam Christus ad auditores suos habuit, Matthæi vii. Ut sibi caverent à falsorum Prophetarum impia doctrina & veritati, quàm ipse præ-

prædicabat, maximè contrariâ: suæ autem aurem animumque aduerterent. Monitionis istius fructuosissimæ hic fuit epilogus. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam petram & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enumerat supra petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui edificauit domum suam supra arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.*

Non disputo hic, quod faciendum loco proprio, de quo ædificio hic Christus agat? quis dicatur super arenam, quis supra rupem petram-ve domum erigere? quomodo pluuia, ventus, flumina accipienda sint, & quarum sint rerum symbola? alia quoque hujus parabolæ emblemata non attingo: hoc solum inde sumo: Christi Domini sensu, neminem esse virtuti capessendæ, & scientiæ spirituali addiscendæ idoneum, nisi Architectus & Ædificator fuerit: neminem in Christi disciplinam posse recipi, nisi illo sit insignitus titulo. Adde, neminem salutem consequi, nisi Architectum Christianum. O Titulum ab omnibus expetendum! Nam si ex Pauli pronunciato: *Non auditores legis, sed factores iustificantur coram Deo*, ad Romanos secundo capite. Ex Christi autem doctrina illi sunt factores legis, qui secundum Architecturæ regulam ædificant: nempe, supra Petram, quæ est Christus, & eius fides, operum bonorum ædificium, quid est reliquum, nisi nulli, præterquam Architecto Christiano, ad salutem adiutum patere?

Et ita sanè se res habet. Multi verbum diuinum, Sapientiæ præceptiones, & mandata summi Numinis audiunt sciunt plerique, quid ex legum, siue naturæ siue

Prima pars

D

divi.

divinarum præscripto agere conveniret: non ignorant  
 quas cujusque status, conditio, institutum, vivendi ra-  
 tio sponte inita obligationes inducant. Nimirum, Ado-  
 lescenti vivendum esse castè, piè, sobriè: Viro moderatè  
 prudenter, justè: omnibus temperatè modestè, Chri-  
 stianè. Est-ne inter Christianos aliquis à puero enutri-  
 tus inter bonos, qui conciones, & sacra mysteria fre-  
 quentant, cui non sæpenumero auribus insonuit, se-  
 ctandam esse sobrietatem, ab omni alienæ rei deside-  
 rio, nedum usurpatione esse abstinendum, operan-  
 dandam castimoniam, pietatem ad omnia utilem esse,  
 sine sanctitate neminem visurum DEUM, cuilibet le-  
 thifero crimini pœnas respõdere sempiternas: peccat  
 carnis esse, immunditiã, mollitiã, luxuriam, ebrietatem  
 qui hæc similiaq; cõmittunt, regnũ DEI nõ possessuro

Cur nihilominus tam multi laxant frena concupi-  
 sciendi? cur non tam pauci seriõ virtutem consecran-  
 tur? Cur tantus ad inferos descendendum est numerus?  
 Si ex Christi sententia sumendum est responsum, qui  
 pauci sunt boni *Architecti: Auditores multi, Factores vix ul-*

## ARTICVLVS IV.

## ARCHITECTUS CHRISTIANUS

*Esse debet Amator Sapientiæ, Virtutumq; cultor, ut profit ali-*

**A**D Sapientem Christianum spectat, quàm quod  
 maximè, ut non solum sibi profit, sed aliis quoque  
*Sic luceat lux vestra coronam hominibus, ut videant opera  
 vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in celis est, inquit  
 ebat Christus, cum ad Sapientiam suam auditores ser-  
 diret Matthæi xv. At prodesse alijs, siue verbo, siue ex  
 emplo, nihil est aliud, quam bonum Architectum agere  
 re, seu Ædificare proximum. Siquidem voces hæc Archi-  
 tectonicæ, ædificare, extruere, ædificationem dan-  
 ædifi-*

## ARCHITECTUS CHRISTIANUS. 51

ædificativum esse, & similes loquendi formulæ, ut superius est demonstratum, usu Ecclesiastico significant spirituale emolumentum, quod proximo accedit, ex doctrina exemplis que ejus, qui ædificare dicitur.

Sic dum videmus adolescentem compositis moribus in plateâ aut fero oculis minimè vagum, in consortio reliquorum cum modestia affabilem, in risu non effusum, moderatum in verbis, ubique verecundum, dicimus est adolescens bonæ ædificationis. Si observamus virum maturitate gravem, nihil unquam proferentem noxium, petulans probosum, sed semper, quæ sana quæ proba, quæ utilia loquentem, affirmamus, nihil ab eo proficisci, quod non sit ædificativum, Sacræ scripturæ phrasibus congruenter. Sunt enim usitatæ in diuinis paginis ejusmodi formulæ, quibus docemur Sapientiæ veræ Amorem Architectum esse debere Christianum.

---

### ARTICULUS V.

#### ARCHITECTI CHRISTIANI FORMÂ

*Est Sapientia Caritate animata.*

**V**T Musica, siue ars canendi Musicum constituit, ita sit quædam oportet per se formâ Christianum Architectum perficiens. Quænam est illa? Hic tantùm indicanda est, explicanda alibi accuratius. Non est, mihi credite, vel ingenii naturalis subtilitas, vel tenacitas memoriæ, vel linguæ volubilitas, vel eloquentiæ amœnitas. Sine his esse poterit *Architectus Christianus*. Neque hunc facit, aut Philosophiæ Aristotelicæ cognitio, aut Medicinæ peritia, aut notitia Iurisprudentiæ, aut Theologica perscrutatio: sic enim plurimi ex Architectorum albo expungerentur, qui in illo sunt præcipui. Non est etiam ad illam necessaria vel nobilitas generis, vel corporis pulchritudo, vel robur virium, vel opum copia.

D 2

Hæc

Hæc nobilem, venustum, fortem, divitem, non *Architectum Christianum* faciunt. Quæ-nam ergo est Architecti nostri forma? verbo exprimam, SAPIENTIA. Nam forma Architecti est illa, quâ, tanquam arte, Domus ædificatur: Sapientiâ autem, inquit Salomon, *ædificatur domus, & prudentiâ roborabitur*, Proverbiorû x' x' v. *Sapientia ædificavit sibi Domum*, Prov. ix. tum ut Architectura Magistra, tum ut Architectatrix, qua ædificatur quæ bona sunt omnia.

Quæ est illa? quam depingit Jacobus Apostolus Epistola sua capite 3. *quid desursum est Sapiencia, primum quid pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans: sine simulatione.* Ab hac Sapiencia non distinguitur, certè, nunquam divellitur Caritas illa, quam ut formam Architecti prædicat Paulus Apostolus, dicens, *Scientia inflat, Caritas vero ædificat.* Ædificat Caritas? Ergo inhæret animi tanquam ars Architectonica in opifice, & Architecto facit. Ita equidem reor, & in superioribus est satis multiplicatum. Quare si vobis est animus in album eorum qui Christiani sunt Architecti, referri, & eam artem perfectè addiscere, quæ pereuntibus ceteris, æternæ mentes vestras exornet, ad alteram vitam comitatus diligite DEUM & proximum, caritate quæ de sursum. Caritas hæc Ædificans nunquam excidit, sive prophete evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Amate delectissimi & perennate: nam reus

*Omnia prætereunt præter AMARE DEUM.*

